



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberto Bellarmini Politani, Societatis Iesu, S. R. E.
Cardinalis, Institutiones linguæ Hebraicæ**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

[Genf], 1619

Partis quintæ, quæ est de Poëtica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69647)



PARS QVIN-
TA, DE POETICA

UNIVERSE,



*Sive de Metris, & Canticis recen-
tiorum Hebraeorum.*



Vetus quidem Poetica Mosis, &
Prophetarum hoc tempore peni-
tus ignoratur. Veruntamen re-
centiorum Hebraeorum Cantica rhythmicis
maximè versibus constant, quales fermè à
plerisque proximis hisce saeculis condeban-
tur: quos Leoninos appellant. Quoniam ta-
men ipsi quoque recentiorum Hebraici ver-
sus certo aliquo tùm pedum, tùm syllabarũ
numero continentur, primùm de syllabis, ac
pedibus; deinde etiam de vario carminum,
rhythmotumq; genere differetur.

Q 3

CA-

CAPVT I.

De Syllabis, ac Pedibus.

Syllabæ aliæ longæ, aliæ breues. Longæ quæ constant vno ex decem punctis vocalibus. Breues, quæ habent sceua mobile, siue simplex, siue compositum, scilicet cateph patach, vel cateph segol, aut sciurec initio dictionis ante literas labiales *בומא bumaph*, & ante alterum sceua, quum ponitur pro *י* conjunctione.

2 Sceua quiescens, vt in lectione, ita etiam in carmine negligitur, cum syllabarum numerum non augeat, nisi per diæresim pronuncietur, aut per diastolen producat, vt suis locis dicitur.

3 Patach necessitatis literis gutturalibus *ינה* in extremis dictionibus additum, in carmine propriam syllabam facit. Ergo *יְהוֹשֻׁעַ מָשִׁיחַ* *Maschiach*, *Christus*, *יְהוֹשֻׁעַ מָשִׁיחַ* *sciome angh*, *audiens*, trisyllaba

syllaba habentur, quæ alioquin ratione accentus tantum disyllaba cēsentur: Idemq; de aliis eiusmodi dicendum.

4 Pedes, quibus in versibus utuntur Hebræi, duo sunt: alter dicitur תנועה *tenungha*, motio: & constat syllaba longa, ut תם *tam*, *perfectus*, לו *lo ei*. Alter dicitur יתר *jathed*, *clausus*: qui duabus constat syllabis, longa, & breui, instar iambi, ut לך *lecha*, *tibi*, עמוד *nghamod*, *stare*, אמור *emor*, *dic*, ראה *ree*, *vide*, ופה *vphe*, & os. Porro ex his duobus pedibus, Thenungha, & Iathed variè permixtis fiunt alij quatuor, qui nobis appellantur Spondaeus -- דבר *davar*, *verbum*: Bacchius -- דברים *devarim*, *verba*: Creticus -- כורמים *coremim*, *vinitores*: Mollusus -- פרשים *parascim*, *equites*. Per hos quatuor pedes, & Iambum, quippe voce, vsuq; notiores, Hebræorum carmina metiemur.

*De quibusdam versuum appella-
tionibus.*

HEbraei plerique ad finem vs-
que carminis binos versus
coniungunt, vt in nostris e-
legiis, vel distichis fieri solet. Priorem
versum, qui velut Hexametro respon-
det, appellant דַּלֶּת *daleth*, *ostium*, quòd
per illud fiat ingressus in carmen. Po-
steriorem, qui Pentametri loco est,
vocant סֵגוֹר *segor*, id est *clausulam*, quia
versum claudit. Vtrumque verò con-
iunctum nominant בַּיִת *baijth*, *domum*,
nos distichon possumus appellare.
Debet autem סֵגוֹר *segor*, vel subscribi
versui דַּלֶּת *daleth*, vt in Latinis disti-
chis fieri cernimus: vel si in eadem
quoque linea, ob syllabarum pauci-
tatem, scribatur, ita duobus crassiori-
bus punctis distingui, vt per se singu-
la spectari possint hoc modo:

מֵרִים שׁוֹלֶרֶת לְנוֹ חֵן : שִׁירֵנוֹ אֹתָךְ יִרְנֵן

Mi-

Miriam scie ואלאדח לאנו כהן

Scirenu othac jerannen.

Maria, quæ peperisti nobis gratiam, carmen nostrum te laudabit.

2. Deniq; carmen continens **במים** *battim*, siue disticha pauciora quàm decem, dicitur **בסוק** *pasuk*, comprehensio, ambitus, Epigramma. Quod verò decem, vel plura complectitur, vocatur **שירה** *scira*, vel **שיר** *scir*, canticum, siue carmen.

3. Tres aliæ versuum appellationes in proximo capite explicabuntur.

CAPVT III.

De Rhythmo versuum.

H Ebræi recentiores ad sua carmina condienda rhythmum tamquam salem adhibere solent. Fit autem rhythmus ^{Rhythm} ^{tribus m} ^{dis fit.} tribus fere modis.

1. Ac primus quidem modus est, quum solæ literæ simplices, nulla ha-

Q s bita

bita punctorum ratione conueniunt,
 vt דְּבַר דְּבַר *dever, davar, pestis, verbum,*
 כּוֹס מַס *cos.mas, calix, tributum.* Porro
 hic rhythmus dicitur עֹבֵר *nghover,*
transiens, seu vulgaris: quòd ita transf-
 eat aures, vt vix agnoscat. Rarò in-
 uenitur, eo quòd nihil ferme, artis ha-
 bere videatur.

2 Secundus modus est ornatior,
 quū in integra extrema syllaba, tūm
 literæ, tūm puncta conueniunt, vt
 בֶּרֶךְ דֶּרֶךְ *berec, derec, genu, via.* Atque hic
 appellatur רָאוּי *raui, conspicuus.*

3 Tertius demū est ornatissimus,
 quum duæ extremæ, vel plures sylla-
 bæ literis, aut certè vocalibus simili-
 ter cadunt. Atq; hic rhythmus pro-
 pterea vocatur מֵשֻׁבָּח *mesuuccat,* id est
excellens, qui Hebræis est admodum
 familiaris.

4 Porro in his tribus rhythmorum
 generibus ex literis, & vocalibus,
 quæ pronunciantur, aut sono inter

se

se sunt affines, vna pro alia non raro
vsurpatur, Ergo hæ syllabæ:

אָה עָה : בָּה וָה פָּה : צָה
רָה רֵה רִי : רוֹן רוֹן:

rhythmum efficiunt etiam in Can-
ticis Eliæ, qui in hac facultate vide-
tur facile princeps. Literæ autem affi-
nes, similisve soni, sunt hæ:

סֵשׁ צוּ : כֶּק : כּוּם : דַּטַּת : אָה :
Et si quæ sunt aliæ.

CAPVT IIII.

De locis Rhythmi.

Sed jam videndum est, qui-
bus locis rhythmus adhi-
beatur. Ac primùm quidem
Segor vnius Baith, seu distichi, & Se-
gor alterius eundem rhythmum per
totum carmen habet: ita vt Daleth
vtriusque Baith ab omni rhythmum li-
berum sit hoc modo:

Elias in præfatione Tisbi.

אָהִיָּה קָל כְּנֶשֶׁר וְצָבִי

Daleth

Se-

נָם עַן כְּנִמְרָ אוֹ לְבִיא Segor

אֲשִׁים פָּנֵי כַחֲלָמִישׁ Daleth

לַעֲשׂוֹת כְּרִצּוֹן אֵלֵי אָבִי Segor

Eie kal cannescier vtseui

Gam nghaz cannamer o laui

Asim panai cachallamisc

Langhasoth chirtson eli aui.

Ero velox sicut Aquila, & Hinnulas,

Et fortis sicut Pardus, aut Leo:

Ponam faciem meam sicut petram:

*Ad agendum iuxta voluntatem Dei
mei, Patris mei.*

2 Idem fit in his dimetris Latinis.

Agamus cuncti gratias

Nostræ salutis vindici:

Scelus vitemus pessimum,

Puri occurramus iudici.

Vt enim hîc vindici, & iudici, ita
ibi אָבִי aui, & לְבִיא laui, in segor rhy-
thmum similem efficiunt.

3 Nihil verò videtur obstare, quo-
minus etiam daleth vnus distichi, si-
ue בַּיִת baith cum daleth alterius in
rhy-

rhythmo finali conuenire possint.
 Porrò hoc carmen rhythmicum vo-
 catur קשור שיר *scir kascur*, carmen liga-
 tum, quo Elias, & alij qui Epigram-
 mata scribunt, frequenter utuntur.

4 Altera rhythmici ratio est adhuc
 præstantior, quum Daleth, & Segor
 in quolibet Baith, siue Disticho eun-
 dem rhythmum finalem habent, ut

אִשָּׁא לְבִי גַם כַּפַּיִם Daleth

אֶל-הַיּוֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם Segor

מִכָּל-רָעָה יִצִּילֵנוּ Daleth

כִּי יוֹשְׁנוּ תַמִּיד עֲזָרְנוּ Segor

Essa libbî gam cappaim,

El hajosciev basciamaim

Miccol rangha iatfilenu

Chi ieseno tamit nghezrenu.

Extollam cor meum, & manus meas

Ad sedentem in calis:

Ex omni malo eruet nos,

Quia ipse est semper auxilium nostrum.

Atque hoc carmen אַת' עֲזָרוֹלָא
 dicitur קרווי שיר *scir charuzi*, carmē rhy-

thmicum, in quo vel singula Battim
 suum rhythmum habere possunt, ut
 in duobus proximis videre licuit: vel
 omnes versus, ad extremum usque
 carmen, eundem planè rhythmum
 retinent, atq; ita similiter, desinunt.
 Exemplo sit secundum Canticum
 Eliæ, in quo versus omnes, qui nu-
 mero sunt octo ac viginti, exeunt in
 ni. Quidam carmen קָשְׁיֹר *kasciur*, &
 חַרְזִי *charuzi*, paulò aliter explicant.
 Verùm quæ diximus, ex Eliæ senten-
 tia, atque aliorum, Poëticae Hebraicæ
 magis videntur accommodata.

7 Tertia rhythmus ratio est quum
 duo Battim siue Disticha ita construi
 possunt, ut utriusque Segor eundem
 rhythmum finalem sortiatur, ut fit in
 carmine *kasciur*: utrumque verò he-
 mistichium prius cuiusque segor si-
 militer desinant, quæ dicuntur tres
 pausa. *Elias Cant. 5.*

אָחַזָּה אֶת־דַּעַי בְּשֵׁם הָאֵל רֹעִי

לְיִשְׂרָאֵל מִעֲגָלִים:	וְהוּ יִתֵּן יִשְׁעוֹ
וְדַקְדּוּק אֲבוֹעַ	לְכַבְּי אֲזוּרִיעַ
פְּרָטִים וּכְלָלִים	בְּרִגְשׁ אֲצִיעַ

Achavve eth denghi besciem hale
ronghi

Vehu ittē iscnghi lejaścier mangha-
galim

Levavi odiangh vedikduk abbiangh
Beraghesc attsiangh peratim uchela-
lini.

*Indicabo scientiam meam, in nomine Do-
mini pascentis me.*

*Et ipsa dabit auxilium mihi ad dirigendos
calles.*

*Cor meum erudiam, & Grammaticam e-
ructabo,*

De raghes proponam propria, & vniuersa.

8 Simile quiddam cernitur in his
Latinis,

Quamquam tacet, multis placet,

Rarò jacet vir optimus.

Quicquid loquetur, despicietur,

Nec coletur pessimus.

9 Huius

9 Huius porro generis carmen appellatur שיר מחלק *scir mechullak*, carmen diuisum.

CAP. V.

De carmine simplici, & composito.

HX illa priore diuisione pedū Hebraicorum duplex genus carminis oritur. Nam quod è solis תנועות *tenunghoth*, id est syllabis longis constat, neque vllum sceua mobile recipit, vocatur פשוט *pasciut* simplex. Huius tantum vnum genus vsitatum reperitur, quod spondæis quatuor constat.

Elias Cant. 2.

אֲשִׁירָה נָה שִׁיר נִכְבְּרוֹת
בְּאֵר הֶטֶב וּבְלֵי חִידוֹת

Ascirana scir nichbadoth
Baer hetev uveli chidoth.

*Cantabo iam canticum rerum grauium,
Explicando bene, & sine ænigmate.*

Appellatur etiam carmen quadra-
tum

cum, eo quòd ex duabus quadratis dimensionibus constet.

2 Quòd autem partim ex תנועות *tenunghoth*, partim ex יתר *iated*, conflatur, dicitur שיר מורכב *scir murechav*, carmen compositum. De cuius generibus, ac dimensionibus proximo capite agemus.

CAP. VI.

De duodenigenti generibus carminis compositi.

Rimū quidem Iambo constat & spondæis duobus.

קצתם עתויקים
קצתם נתשלים

Ketsatham nghattikim

Ketsatham nechscialim.

Quidam eorum (sunt) fortes,

Quidam eorum infirmi.

2 Secundum Spondæo, Iambo, & Spondæo.

רפה בהתפלל

R

נדע

יִרַע בְּעֵינֵי אֱלֹהִים

Raphe behithpallel
Ierangh benghene el.

Remissus in precando

Displicebit in oculis Dei.

3 Tertium Spondæo, Bacchio, &
Iambo.

בָּרָא אֱלֹהִים אִנוֹשׁ

בְּגַן מְרִימוֹ לְרוֹשׁ

Bara elohim enosc
Baggan merimo larosc.

Creavit Deus hominem

In horto, extollens eum in principem.

In fine Segor, seu clausulæ, muta-
tur etiam Iambus in Spondæum, vt
hîc vides.

4 Quartum constat Cretico, Spō-
dæo & Iambo.

טוֹב יְהוֹשׁוּעַ שְׁלַח לִי

חֲנֹךְ קְרוֹשׁ בְּלִבִּי

Tou iehosciuangh scielach li
Chinnecha kadosc belibbi.

Bone Iesu mitte mihi

Grā

Cratiam tuam sanctam in cor meum.

5 Quintum Spondæo, & duobus
Bacchiis.

יבש בקראי גדוני

דבק לחכוי לשוני

Iavesc bekorei gheroni

Davek lechicchi lescioni.

Aruit in clamore meo guttur meum.

Adhæsit faucibus meis lingua mea.

6 Sextum Spondæo, Iambo, &
duobus Spondæis.

קומה אלהים עזרתה

לי וענה בצרתה

Kuma elohim nghezratha

Li vanghane battsaratha.

Surge Deus in auxilium

Mihi, & exaudi in tribulatione.

7 Septimum Iambo, Spondæo,
Iambo, Spondæo.

אשר ילק ברך רע

אבל קול צוררו ושמעו

Afcier ielec bederec rangh

Avalkol tforarau ifcmangh.

R 2

Qui

Qui ambulat in via mala

Sanè vocem hostium (demonum) suorum audiet.

8 Octauum Iambo, duobus Spondais, & Bacchio.

מְהַלֵּל לְעוֹלָם אֱלֹהִים

אֲשֶׁר עָשָׂה עִמִּי חַסְדִּים:

Mehullal langholam elohim

Afcier nghafa nighimmi chafadim:

Laudandus in æternum Dominus,

Qui fecit mecum misericordias.

9 Nonum quatuor Creticis.

כָּל אֲשֶׁר מַעֲשֵׂי גִדְלָךְ יִדְעוּ

בְּאֵמֶת וְחַמּוּד שׁוֹבֵךְ שְׂבָחוֹ:

Col afcier manghase gudlecha iadenghu

Beemeth vachamud tuvecha scivchu.

Omnes, qui opera magnitudinis tue intellexerunt,

In veritate, & desiderio bonitatem tuam predicauerunt.

10 Decimū Iambo, duobus Spondais,

dæis, Iambo, & Spondæo, tamen
 primo loco Spondæus, secundo etiã
 Iambus esse potest.

בשם אל חי הגיון לשוננו

בעוד רוח חיים באפנו

Besciem el chai hegjon lescionenu

Benghod ruach chajim beappenu.

In nomine Dei viui sermo lingua nostræ

Quandiu spiritus vitæ in naribus nostris.

11 Undecimum Spondæo, Iambo
 Spondæo, Iambo, & Molosso, vel
 Spondæo.

עת שערך רצון להפתח

היום אהי כפי לאל שושח

Ngheth scianghare ratson lehippa-
 theach

Hajiom ehi cappai leel scioreach:

Tempus (est vt) portæ bonæ voluntatis a-
periantur,

Hodie ero manus meas ad Deum expan-
surus.

12 Duodecimum Iambo, vel Spon-
 dæo, Spondæo, vel Iambo, Iambo,

R 3 Spon-

Spondæo, Bacchio.

דָּאוּ סֵפֶר בְּהוֹר שֵׁפֶר וּפְיוֹ

פְּנֵי רַעְיוֹ מְבִישׁ הוּ וּמַלְבִּין:

Reu sepher behod sciepher vejophjō

Pene renghau mevajjesch hu umalbin

Intuemini librum in magnificentia, decore,

& pulchritudine eius,

Facies suorum sociorum confundit, & pal-

idas reddit.

Elias in radicibus Kimchi. Sed
abest rhythmus.

13 Tertiumdecimum binis Spon-
dæis, & Iambis alternis, & Iambo.

כֶּפֶּא אַבִּי קַהַל וְשֵׁר עֲלִיּוֹן

מִכָּל שְׁלִיחִים עִם עֶזֶר אֲבִיוֹן:

Chepha aui kahal vefar ngheljon

Miccol scielichim ngham nghazor

evjon.

Petre pater Ecclesie, ac Princeps excelsæ

Præ omnibus Apostolis, populum in una

pauperem.

14 Quartumdecimum constat ex
quinque Bacchiis.

לְרַבֵּר

לְדַבֵּר תְּהִלּוֹת לַמִּירָם לְכֹל כָּל מְשִׁיחִים
וְהִי יִלְדֶה אֱלֹהִים בְּתַמּוֹת בְּתוּלִים:

Ledabber rehilloth lemirjam lecu col
mescichim

Vehi ialeda elohim bethummoth
bethulim.

Ad dicendum laudes Mariae venite omnes Christiani,

Quia ipsa peperit Deum in integritate virginitatis.

15 Quintumdecimum componitur ex primo: cuius idcirco metrum tantum duplicatur.

— — — | — — — | — — — | — — — | — — — | — — —

Huius generis duo disticha allata sunt supra extremo capite quinto, numer. 7. ex Eliae cantico quarto pro carmine מְחֻלָּק *mechullak* sive diuiso: cuius initium אַחַוֵּה *achavve*, indicabo, &c. quæ est tertia rhythmici ratio.

16 Sextumdecimum ternis Spōdæis, & Iambis alternis constat: hoc est Spondæo Iambo, Spondæo Iambo,

R 4 bo,

bo, Spondæo Iambo.

לי תעזור אלי יודי יחזיק
הנה בלי עזרתך אינני לריק:

Litanghazor eli vejadi iachazik

Hinne beli nghezrathecha igangh
lerik.

*Me iuua Deus meus, & manum meam
confirma,*

Ecce sine ope tua laboro inaniter.

17 Septimumdecimum Bacchio,
Iambo, Spondæo, Bacchio, Iambo,
Spondæo.

אמת אל אמת אתה ואם-לוא ראיתך
ואולם ברוב טובך בכל-עת חסיתך:

Emeth el emeth atta veim lo reithi-
cha

Veulā berov tuvach bechol ngheth
chasithicha.

*Veritas es tu Deus, veritas (inquam)
quòd si non te vidi.*

*Tamen in multitudine bonitatis tuae sem-
per speravi in te.*

18 Duodeuigesimum, & postre-
mum

mum conflatur è Spondæo, Jambo,
duobus Spondæis, Iambo, vel Bac-
chio, & Spondæo.

את־רוחך קדוש אנא שלת בנו

כִּיהו ישמח בדרך באמת לבנו

Eth ruchacha kadosc ana scielach
banu

Chi hu iesammach badad beemeth
libbentu.

*Spiritum sanctum tuum (Deus) obsecro
mitte in nos,*

*Quia ipse exhilarat duntaxat verè cor no-
strum.*

Admonitio.

1 Hæc ferè sunt carminum genera, quæ
ab insignibus auctoribus vel usurpata sunt,
vel ad usum scribendi proposita. In quibus
si se hebraica linguæ studiosus exercere
velit, præstat à quadrato, siue simplici,
omniumq; facillimo initium facere, atque
inde ad vnum, seu plura ex compositis pro-
gredi, quæ cuiusque ingenio maxime ac-
commodata videbuntur.

R 5

2 Sunt

2 Sunt qui velint cuius liberum esse no-
ua, & à superioribus diuersa carminum
genera sibi excogitare. Verùm quum tot,
ac tam varia sint nobis iam à viris peri-
tissimis huius linguæ proposita, tutius erit
horum se imitatore[m] profiteri, quàm esse
noua, ac fortasse temeraria artis auctorem.

CAPVT VII.

De figuris versuum Hebraicorum.

Habent & Hebræorum ver-
sus suas figuras: quarum no-
mina, & proprietates ex Lati-
na prosodia iam nota esse omnibus
debent.

I. *Synaresis.*

1 Reperitur hæc figura potissimum
in sceua simplici mobili, atque in v-
troque composito, cateph patach,
& cateph segol. De quibus hæc duæ
regulæ proponuntur.

2 Prima, Sceua simplex sub litera
initiali, sub daghessata, & post pun-
ctum

Etum longum, frequenter cum sequente puncto coalescit, & cum eo unam syllabam efficit, ut ex his tribus quadratis Eliæ versibus (Cant. 2.) intelliges.

במקום שורק שלוש נקודות

Bimkō sciurek scialosc nekuddoth.

In loco sciurek tria puncta, id est kibbutz.

Hic vox נקודות nekudoth habens sceua initiale, spondæum efficit; ac si scriptum esset נקרות nukdorth dissyllabum.

ואבאר עשר הנקודות

Vaavaer ngheser hannekuddoth.

Et explicabo decem puncta.

Vox הנקרות hannekuddoth habens sceua daghesata, trisyllaba est, quasi הנקרות. De trisyllaba vide sequentem regulam.

רק אם בטעם הן עומדות

Rak im battangham hen nghometh.

Nisi quando cum accentu consistunt, id est

vocales.

Vox עִמְרוֹת *nghomedoth* habes sceua post longam vocalem, spondeum efficit, ac si esset עִמְרוֹת .

3 Secunda, Vtrumque sceua compositum, cateph patach, & cateph segol, eodem modo, quo simplex, cum sequente puncto coalescit, & in vnam syllabam contrahitur. Vtriusq; exemplum habes in hoc versu quadrato Eliæ, Cant. 2.

$\text{רָפוֹת אַחֲרֵי הֵן נִאֲגָדוֹת}$

Raphot achare hen neeghadoth.

Raphata tum congregantur.

Hic vox אַחֲרֵי disyllaba est, quasi אַחֲרֵי *achre*, & נִאֲגָדוֹת trisyllaba, quasi נִאֲגָדוֹת *negadoth*. Huc etiam spectat vocabulum וַאֲבֵאֵר paulò ante in exemplo propositum. Est enim ex hac regula trisyllabarum, perinde ac si scriberetur וַאֲבֵאֵר *vabaer*.

2. *Diaeresis.*

1 Sceua quiescens post punctum breue,

breue, nonnunquam metri necessitate fit mobile, ita vt à suo puncto, & litera præcedente, cum qua in vna syllaba cohærebat, penitus distrahatur, vt כִּלְמֵם בְּאַחַד נִחְלְקוּ וַיִּהְיוּ

Cullam cheechad nichleku vaji heju.

Omnes sicut vnus diuiduntur, & erunt,
 &c. Hic וַיִּהְיוּ fit quadrisyllabum pro וַיִּהְיוּ vajiū, trisyllabo. Est enim carmen generis xvj.

3. *Ectasis, siue Diastole.*

ו initialis positum pro ו copulatiuo, per hanc figuram (siue sequatur sceuata litera, siue non) producit, vt Cant. 2. quadrato Eliæ.

בְּאֵר הֶטֶב וּבְלִי חִידוֹת

Baer hetev uveli chidoth.

Explicare bene, & sine enigmate.

Et ibidem, וּמִדְגֵשׁ הֵן נִפְרָדוֹת

Vmiddaghesc hen niphradoth.

Et à daghes separantur.

In priore versu וּבְלִי, & in posteriore וּמִדְגֵשׁ producit ו initialis, quod alio-

alio-

alioquin breuem syllabam facere solet, vt diximus suprà cap. i. nu. 1. huius partis.

2. Sceua simplex mobile produci videtur in voce בִּיּוֹר Cant. 7. Eliæ, disticho 9. quod est decimi generis carmen.

וְכַאֲשֶׁר בִּיּוֹר יִהְיֶה חִירֶק

Vechaascier beiod jie chirek

Et quando in Iod fuerit chiric.

Nisi malis elidi Iod, & patach sceua produci, quod minus probabile videtur.

4. *Tmesis duplex.*

Prior.

1. Hebræi suos versus non semper continenti, & omnino cohærenti syllabarum serie scribunt, more Latinorum: sed singulos pro pedum multitudine, modò in duas, modò in tres, modò in quatuor regiones, seu spatia diuidunt, salua tamen eadem prorsus integritate, & ratione metri-

ca,

ca. Atque harum regionum initium plerumque facit יתך siue lambus, qui partes versus aliquo interuallo distinguit, vt Elias Cant. 1.

אֲשֶׁה לְכָבִי נָא אֵלֵי כַפַּיִם

אֵל־אֵל אֲשֶׁר חֲסְדוֹ בְּהַשְׁמַיִם

Essa leuauai na ele cappaim.

El el ascier chafdo, behasciamaim.

Leuabo cor meum nunc ad manus

Ad Deum cuius misericordia in celis.

Nota ה demonstratiuum post כ in voce vltima.

2 Quòd si יתך hîc incidat in mediam dictionem, distrahitur illa per Tmesin interposito signo conjunctionis instar maccaph, & quicquid est ante illud יתך cum antecedentibus connectitur: ita vt יתך sit initium nouæ regionis, vt in his tribus exemplis videbis Eliæ, Cant. 7.

שָׁבָא זֶה יֵצֵא מִכָּלֵל הַנֶּה

Scieua ze ietse mi velal hinne.

Scieua transgreditur regulam hanc ecce.

יקר

יְקַדְמוּהוּ חֲמִשָּׁה הַגְּדוֹלִים

Iekadmuhu chamiscia hagggedolim

Precedent ipsum quinque magna.

לִי יִעֲזֹר כִּיּוֹם וַיְדוּ יִחְזִיק

Li janghazor caijō vejadi ia chazik.

Mihi auxiliabitur iuxta diem, & manum meam roborabit.

3 Idem fit in carmine quadrato ob solam versus aliquam distinctionē, etiam si illud Iambum non habeat, ut Cant. 2.

אוֹתוֹ מְנִיעוֹת וּמְנַדוֹת

Otho meni nghoth vmenaddoth.

Ipsum mobile reddunt, atque commouent.

Prior hæc Tmesis ad vnam scriptionis elegantiam videtur pertinere.

Posterior Tmesis.

4 Integra dictio interdum ita distrahitur, ut prior illius pars præcedentem versum finiat, posterior vero sequentem inchoet, ut Cant. 1. Elix. disticho 4.

הלך

הַלֹּךְ וְרִין נִקּוּד וְאוֹתוֹת וּמְשֵׁ

פֶּטֶם לְאוֹר אוֹצִיא כְּצַהֲרַיִם

Hilluc vedin nikkud veothijoth v-
misc.

patam leor ot si chetsaharaim.

Usum, & ius punctuationis, & notarum,

*Et iudicium eorum in lucem proferam, ut
meridiem.*

5 Sic apud eundem Cant. 4. disti-
cho 6. distrahitur in duobus versibus
hæc vox וְשֵׁלֶם & felicitas.

6 Verum hæc posterior Tmesis
minus frequens est in carmine: in o-
ratione autem soluta locum non ha-
bet, etiam si apud Latinos, Græcosq;
nusquam non obuia sit. Hebræi e-
nim, quando vnus versus, vel, ut ap-
pellant, linea orationis solutæ voca-
bulum integrum ob spatij angustias
capere non potest, relicta, ibi vna,
vel pluribus ejus literis tanquam ob-
sidibus, totum in proximè sequenti
versu seponunt, hoc modo:

S קמץ

קמץ הנדול נקרא כי האדם יקמץ
 פיהו במבטאו והו מורכב מהפתח ו
 והחלם תחת האות כמו ו ז ח

Kamets haggadol nikra chi haadam
 ikmats

Pihu bammivtao vehu murcav me-
 happathach

Vehacholem tachath haoth chemo
 va za cha.

Kamets magnum vocatur, quia homo colligit os suum in prolatione ipsius. Est autem compositum ex patach, & cholem, sub litera, ut va, za cha.

Notatio.

Si syllaba, hac posteriore Tmesi resecanda, habeant daghes forte, non fit distra-ctio: sed integra dictione ibi relicta (eo quod daghes forte initio sequentis versus proferrri non possit) ille prior versus fit hypermeter, syllabam habens superuacaneam: qua tamen referenda sit ad initium sequentis versus, cuius iccirco prima syllaba desideratur.

ישמח

ישמח וישׁש בנבור

עת שלוף חרבו

Ismach vejascisc cheghibbor
Ngheth scieloph charbo.

*Caudebit, & exultabit sicut Cigas
Tempore educendi gladium suum.*

9 In hoc disticho, quum dalet sit tertij generis, superest syllaba בור addenda sequenti segor: cui vna deest syllaba, quum sit secundi generis. Eiusmodi tamen hypermetri versus cognoscendi sunt studiosis potiùs, quàm imitandi.

C A P. V I I I.

*De coniunctione versuum diuersi
generis, & de cesura.*

Itsi in carminibus Hebræo-
rum plerumque ad finem
vsq;, tum daleth, tum segor,
atque adeo omnes versus ejusdem
sunt generis, vt Latinorum, & Græ-
corum hexametri, tamen licet etiam

S 2 in

interdum duo versuum genera vno disticho *באי* ita conjungere, vt Daleth suum genus habeat propriū, & Segor similiter suum more elegiarum: in quibus prior versus est hexameter, posterior verò pentameter.

2 Ergo si Daleth, & Segor vnus sint generis, carmen dicetur Monocolon: si duorum, Dicolon. Trium verò vel plurium generum versus vix conjungi solent propter rhythmum.

Exemplum Distichi Monocoli.

Elias Cant. 8.

חֶזֶק וְאַמֶץ בְּנֵי וְלִמּוֹד וְזִמִּיר זֶה
מִפֶּרֶשׁ דִּין מִשְׁרֵת לִמְלָכִים

Chazek veemats beni vlmōd zemir
ze

Meparefc din mesciareth li mela-
chim.

Confortare, & esto robustus fili mi, & disce canticum hoc,

Quod exponit iudicium ministrans (ministrantium) regibus.

Hic

Hic tùm Daleth, tùm Segor sunt
carmina secundi generis.

Exemplum Distichi Dicoli.

Elias Cant. 3.

עֵוֹד יֵשׁ נִקְדָּה וּמִשְׁרָת לְכוֹלֵם הֵן עֵוֹד
אֲשׁוּרָר בָּהּ שִׁירוֹת נַעֲמֹת

Nghod iesc nekudda vmesciareth
lechullam hen nghod.

Afciorer ba sciroth nenghamoth.

Est quoque punctum, quod omnibus seruit:

Et adhuc canam de eo cantica plura.

Hic Daleth est generis duodeui-
gesimi: Segor verò octavi.

3 Cæsura nulla, vel certè perexi-
gua, habetur ratio, quum sæpe sin-
gulis pedibus singula vocabula tri-
buantur præsertim quæ à sceua mo-
bili inchoantur. His enim tanquam
incisis, ac membris Hebræi distingui
versus elegantes existimant. Quare,
si adsit cæsura, vsurpanda, si absit,
haud laboriosè quærenda.

FINIS.

S 3